

substat, intestato decedere potius volum fit; Ex quibus autem verbis, vel signis, vel ex quo temporis intervallo, testamenti revocatio resultet, ut intestata successione loci fiat, certa regula non cadit, cum ex facti qualitate, varisque voluntatis argumentis id pendeat. *b*

86 Cancellatio item, vel interlineatio, sive sigillorum delictio, vel funiculorum dissolutio, testamenti revocationem arguit, alique similia voluntatis mutationem arguentia; Sive inimicitia, cum testamentario superveniente, qua omnia, juris inducunt praesumptionem, contraria probatione, vel fortiori praesumptione elidibilem, pro facti qualitate, cuius potius, quam juris quaestiones esse dignoscuntur.

Qui vero directam ex testamento hereditatem petierit, an ad obliquam codicillorum iure, (priori via non suffragante,) convolare valeat, sub quaestione cadit, idque ex facti qualitate, varisque facti circumstantiis decisionem recipit. *d*

87 Sive an codicillaris, vel aequipollens clausula, generica sufficiat, vel in ipsa specifica dispositione adjici debeat, ut testamentum salvet; Vel in testamento mulieris, vel idiotae suam faciat operationem, cum similibus, in sua sede videndum est.

88 Heredis praedecessus testatori, testamenti caducitatem inducit, nisi alter sit datus substitutus, qui de secundo, primus haeres efficiatur.

89 Ita vero intestatus decedere dicitur, qui nullum condidit testamentum, ac ille qui condidit, sed scriptus haeres ex eo hereditatem non adeat. *f*

90 Per codicillos item testamentum non revocatur, quo-

niam hereditas directo codicillis dari, vel admi non potest, cum declarationibus ut in sua sede. *g*

Superveniens testatoris dementia, testamenti jam valide 92 confecti invaliditatem non operatur. *h*

Super fiduciarium autem declaratione, vel fide plures cadunt quaestiones, certam regulam non recipientes, sed ex facti qualitate decidenda. *i*

Filiorum supervenientia testamenti revocationem causat, nisi facti qualitas aliud suadeat. *l*

Quando autem per contractum, vel per ultimam voluntatem, dispositio ordinata sit, ex facti qualitate pendet, ut in sua sede. *m*

Et quae testamentum praerogativa obligatoria sint, vel spem 94 potius valeant, pariter diversas recipiunt distinctiones, ac declarationes, in sua sede recensitas. *n*

Executorum autem testamenti quae sit potestas, & an hoc 97 hoc minus Religiosi suscipiant, & exerceant, varias pariter habet distinctiones, ac declarationes. *o*

In modo autem recognoscendi testamentum, certa quoque 98 regula non datur, ideoque in sua sede quoque videndum est. *p*

*u* disc. 22. x. disc. 38. cum plurib. seqq. y. disc. 33. & seqq. z. disc. 42. & seqq. a. disc. 63. & 76. b. disc. 64. c. disc. 65. d. disc. 38. e. Eod. disc. 68. & seq. f. Tit. de fideicommissi. disc. 88. g. disc. 20. & 21. h. disc. 41. i. disc. 47. & 48. & sub tit. de iudic. disc. 182. & 183. l. disc. 62. m. disc. 70. n. disc. 71. & seqq. o. disc. 68. & 56. p. disc. 66. & 67.

Finis Prima Partis Libri Noni.

JO: BAPTISTAE  
CARD. DE LUCA  
Libri Noni Pars Secunda,  
DE HAEREDe, ET HAEREDITATE.

SENOGALLIEN. HAEREDITATIS  
PRO FRANCISCO MASSUCCIO.

Responsam pro oratore.

An institutus in usufructu, non dato alio herede in proprietate, remaneat haeres universalis, vel potius haereditas debita fit venientibus ab intestato; Et quatenus remaneat haeres, an jure impliciti fideicommissi, censetur gravatus eisdem venientibus ab intestato, haereditatem restituere.

S U M M A R I U M.

- 1 An magis congruat apponere institutionem heredis in principio, vel in fine.
- 2 Facti series.
- 3 De quaestione an institutus in usufructu, vel pro certa, non dato alio herede, sit haeres universalis.
- 4 De eius decisione, & qualis sit regula.
- 5 Nil referri an sit uxor, vel alter, sive an in usufructu, vel alia re.
- 6 Quatenus sit haeres, an censetur gravatus restituere venientibus ab intestato.
- 7 Defectus potestatis in hoc non intrat.
- 8 Quomodo leges intelligi debeant.
- 9 Institutio in residuo est universalis.
- 10 Institutio heredis potest hodie fieri per quacumque verba.

D I S C. I.

OB Notariorum Urbis, & Status Ecclesiastici stylium, in testamentis, omnia legata, aliaque dispositiones praeremittendi, in fine autem adiacendi haereditatem institutionem, cuius oppositum (forte melius) servant Notarii in Regno Neapolitano, aliaque partibus, quod cum haereditas institutio de jure sit caput testamenti, ea praeremittitur, aliaque subsequuntur; Hinc proinde contingunt quandoque hujusmodi quaestiones, quoniam, tam testator, quam Notarius, vel alter testamenti scriptor, ab aliis dispositionibus defatigati, quandoque obliviscuntur adiacere institutionem, non semel praxis medicata, praeremittit vero in isto casu; Siquidem Jo. Franciscus, Instituta haereditate usufructuaria Justina uxore, quam dixit capere debere usufructum a manu haeredis per eum instituentis, alioque pluribus ordinatis legatis, ac factis dispositionibus, quarum executionem dicto haereditate instituendo commisit, plura in eum dirigendo, cum scribere neglexit; Quare sequuta eius morte, atque Justina uxore continuante in bonorum possessione, & fructione donec vixit, ea quoque defuncta, inter Franciscum ipsius haereditatem, ac venientem ab intestato testatoris, orta est controversia super hujusmodi haereditatis pertinentia; Atque ex parte d. Francisci pro veritate deluper consultus, Respondit, quod licet ista apud DD. videatur una de magis involutis quaestionibus, quae in jure habeantur, ob nimiam opinionum varietatem, de qua, post antiquiores ab eis plene relatos, constat apud Menoch. lib. 4. praef. 141. Mantica. de conjec. lib. 5. tit. 9. Cyriac. controu. 43. Rovit. consil. 46. & 47. lib. 1. Alogi. consil. 77. lib. 1. Castill. lib. 3. controu. cap. 27. Bellon. jun. de jur. accref. cap. 7. q. 7. & 10. apud quos habetur examinata quaestio, an regula, ut favor haereditatis particularis in usufructu, vel alia re, proveniat a beneficio juris accretionis, vel ex potentia legis, ne contingat aliquem decedere pro parte testamenti, & pro parte intestati; Et consequenter, an mortis voluntas in hac materia operativa sit necne; Vel potius legis dispositio et praevaleat, adeoque, eo etiam invito, idem sequatur effectus.

4. Nihilominus, hujusmodi, ac similes quaestiones, hodie schollis, & academiis reservanda videntur pro juvenum ingenis exercendis primquam ad practicas conclusiones de-

veniant (quamvis id male servetur, quoniam cum damnabilissimo usu, moderni Magistri, seu Lectores, etiam in Institutionum principiis, decisionibus, & practicis conclusionibus tyrones imbuerent student, quo nil perniciosius, nilque damnabilius;) In foro etenim, (in agendo commendabili Curie stylo abhorrendi, ac rescandi superfluas dispositiones) recepta est pro regula opinio, vere magis communis, & probabilis, ut institutus in usufructu, vel in re certa, remaneat haeres in universum, ut patet ex allegatis, quorum plures praeremittit Cyriac. a. controu. 43. n. 24. cum seqq. loquuntur in specie uxoris instituta in usufructu, unde propterea pro confecta pragmaticorum ineptia, ista, & similes authorities magnificari solent, utpote loquentes in individuo, quod tamen nil referre videntur, cum idem sit, an sit uxor, & quicumque alter, dum in jure favore uxoris aliquid peculiariter statutum non habeatur; Prout magnificari solent loquentes in specie de usufructu, ultra Cyriac. habetur apud Bellon. jun. dicta q. 10. n. 20. & Rovit. dicto consil. 46. & 47. & dec. 26. n. 5. quod pariter nihil refert, quoniam idem est, ac si institutio esset in alia re particulari, ut firmatur per Rotam apud Orthobon. dec. 203. & in aliis ejus confirmatoriis.

Constitutum vero ista regula, major quaestio cadit, an idem institutus in usufructu, vel re particulari, qui ob unam, vel alteram ex dictis rationibus, alio non dato haereditate universalis, efficiatur talis, censetur tamen jure simplici fideicommissi gravatus restituere haereditatem venientibus ab intestato, necne; Et super hoc pariter DD. nimium certant, indagando, an adit dictio taxativa, vel alia concurrant verba, seu adminicula, diversam defuncti voluntatem suadentia; Et postquam quod concurrerent, an urgeat defectus potestatis, quod scilicet, nec volens possit id agere; Aliique ponderant clausulam codicillarem, seu in aliis similibus frigiditatibus immorantur, magnaque desuper retexunt quaestiones pariter pro meo iudicio, schollis, ac academiis congruas, quoniam verius est istam esse quaestionem potius facti, & voluntatis, quam juris, ideoque juxta nimium frequenter infinitam hujusmodi quaestionum naturam, seu qualitatem certa, & determinata regula generalis cuicumque casui applicabilis dari non potest, atque erroneum est doctrinas, ac decisiones, unum casum ex ejus circumstantiis uno modo determinantes, cuicumque alteri applicare, quoniam ex singulorum particularibus circumstantiis, ac pro facti qualitate desumenda est decisio, eo modo, quo in fideicommissariis aliaque voluntatis quaestionibus habemus.

Atque fabulae species videtur assumptum, ut ex quadam juris civilis subtilitate, seu ex legum grammaticis significationibus, vel subtilibus argumentis induci debeat potestatis defectus, quodque invito moriente, debeat quis ejus haereditatem, ac bona obtinere, cum id solum procedat in ea successione quam lex necessariam esse voluit, expressè adempta morienti potestate aliter statuendi, ut (e.g.) habemus in legitima filii, vel parentibus debita a jure municipali quandoque etiam aucta ad totum, ut praeremittit in mulieribus respectu dotis contingere solet, sive in parente binubo, cum similibus; aut ex qualitate honorum in libero commercio non essentium, ut sunt feudae, & similia; Sed his circumstantiis cessantibus, cum leges civiles apud nos, potius ex populorum recepto usu ob earum rationabilitatem habeamus, juxta legalem historiam pluries instituatam, praeremittit sub tit. de serv. disc. 1. ad eum in aliquibus partibus, in quibus illa nostris moribus adaptata non sint, non fuerint receptae, vel per contrarias leges municipales abolitae, vel declaratae, ut praeremittit advertitur sub tit. de succ. ab intest. disc. 1. Hinc proinde prorsus incongruum videtur, ob pedagogicas potius, quam legales rigorosas significationes verborum, vel subtiles inductiones legum, in foro statuere hanc exorbitantiam, (spemendi morientis voluntatem, quodque eo invito, vel nolente, alter ejus bona obtinere

debeat; Et consequenter præcipue iudicantis, vel Confulentis ad veritatem partes esse videntur, indagandi mortientis voluntatem versimilem, adhibendo veram, imo necessariam, sæpiusque infirmatam regulam, attendendi potius substantiam voluntatis, quam verborum formalitatem; Atque ubi hæc assistat, illam attendere tanquam dominantem & Regnam; Et verò incerta, & ambigua existente, tunc recurrere ad juris regulas & propositiones expressas, vel saltem à magis communi, atque in foro recepta opinione statuas, quæ in hoc proposito, ut patet ex eisdem allegatis, & præsertim *de dec. Rotæ apud Otthob. dec. 203.* assistunt testamentario, quamvis in re certa scripto, potius quam venientibus ab intestato, quos patet testatorem non contempsisse, neque cordi habuisse, dum ad testamenti confessionem processit, unde propterea animum declaravit decedendi testator, non autem intestatus; Cumque erga iam honoratum affectionem ostenderit, merito lex in defectu heredis universalis, quem testator in animo habebat, sed neglexit, supplet potius istum, quam intestatos omnino neglectos, potissime, quia ex communi sylo, in premio adjecti solet ista causa ordinandi testamentum, ne intestatus decederet.

In hoc item proposito; In una Firmam disputata in Congregatione Fabricæ, actum fuerit de quodam testamento, in quo agebatur de instituto in solo residuo, atque bene resolutum est illum esse heredem universalem, quoniam residui appellatione totum venit ad text. in l. 2. *de hered. instit. cum concord. per Peregr. de fideic. art. 9. num. 6. Cancell. var. p. 3. c. 22. de iur. accresc. n. 82.* Bell. jun. *de iur. accresc. c. 7. an. 6. num. 10.* Quamvis enim juris civilis antiqui subtilitas certam formam in heredis institutione præscripserit, attamen jus novum hujusmodi subtilitatis subdidit, & quomodocumque verba concepta sint, substantia voluntatis, seu effectus attenditur, quoniam ubi lex plura clara, & præcisa non urgeat, nunquam sola formalitas verborum, substantiam voluntatis tollere debet, vel eam inefficacem reddere.

SUMMARIUM.

- 1 Institutus in re certa, an evadat heres in totum.
- 2 Institutus in usufructu, an dicatur heres.

ADNOT. AD DISC. I. cum seq.

1 **A**gitur in his discursibus de questione, an & quando institutus in usufructu, vel in re certa, non dato alio herede, remaneat heres universalis, super qua desuit occasio postmodum disputandi, habentur tamen aliqua deducta *sub tit. de testam. disc. 41. & sub tit. de fideic. disc. 110. & 122.* Prout de altero puncto principaliter peracto in *disc. 2.* de instituto in usufructu, post ejus mortem alter sit substitutus, an dicatur heres ab initio, habetur actum *d. disc. 63. fo. 107. & 110. de fideic. & alibi præsertim in seq. tit. de legit. & trebell. disc. 33.*

Et de duplici herede, duplicique patrimonio habetur pariter alibi deductum, præsertim *sub tit. de success. disc. 4. & 9.*

**FIRMANA HEREDITATIS  
PRO VICTORIA DE RUBEIS,  
CUM BENEFICIATO.**

Causa disputata coram A. C. credo, resoluta pro Victoria.

An institutus heres in usufructu, post ejus mortem datus sit heres in proprietate, dicatur heres universalis, qui alteri post mortem restituere sit gravatus; Vel potius alter dicatur heres directus ab initio, institutus autem in usufructu censetur legatarius, ad plures effectus exinde resultantis, & præsertim in hac facti specie, super restitutione fructuum perceptorum, in casu contraventionis.

SUMMARIUM.

- 1 De effectibus ex ista questione resultantibus.
- 2 Facti series.
- 3 An & quando mulier contraveniens voluntati testatoris per transitum ad secunda vota restituat fructus.
- 4 De questione principali, an institutus in usufructu dicatur heres.
- 5 Quomodo intelligenda sit regula, que desuper statuitur.

- 6 Quales sint conjecture unam, vel alteram voluntatem iudicantes mortis.
- 7 De applicatione ad casum controversæ.

DISC. II.

**F**requenter de ista questione agi contingit, quoniam præsertim uxorem consuetudinem habentem instituit uxores usufructuaras ad vitam, atque post eorum mortem dandi heredem in proprietate, non quod in uxoris aliquid peculiariter in iure statutum sit, sed quia est frequentior contingentia, ideoque intrat questio, an vocatus post mortem primo honorati, iure substituitur; ac secundi heredis potius, quam primi & directi habendus veniat, vel è converso, ad plures effectus exinde resultantibus, potissime verò illum plures infirmatam *sub tit. de fideic. super caducatione, vel transmissione respectu, quando casus præbeat premorientiam secundi, quem testator speravit primo superstitem fore; Ac etiam percipit alterum effectum detractionis trebellianicæ juxta casum disputatum in Imolen. *sub tit. de heredi. disc. 33.* cum similibus effectibus exinde resultantibus; Inter quos est ille, de quo in hac facti specie agebatur, super restitutione, scilicet fructuum medio tempore perceptorum, faciendæ necne per Victoriam à Felice viro institutam heredem in usufructu sub lege viduitatis, scripto post ejus mortem naturale, vel civilem heredem, beneficio erigendo, quoniam cum Victoria post aliquorum annorum decursum ad secunda vota voluisset, præterdebatur beneficiarius, qui iam hereditatem pacifice obtinuerat, ut fructus percepti quoque restitui deberent, idque pendebat ab hoc puncto.*

In ista etenim questione, an uxor qua sub lege viduitatis aliquid ex vii dispositione obtinet, contraveniendo renatur restituere fructus interim viduitate durante perceptos, præcipua distinctio est, an agatur de legato, vel institutione particulari, vel potius de institutione universali; Primo etenim casu intrat distinctio, an dispositio fit conditionalis, vel modalis, unde propterea DD. nimium certant, quando concepta est in gerando, an importet totius conditionem, vel modum, ut advertitur *sub tit. de legat. in altero autem, in quo agatur de institutione universali, hujusmodi distinctiones non intrant, sed indefinite, dato casu contraventionis, intrat retrotractio ad initium, & consequenter intrat restitutio fructuum, ex ea differentia ratione, quod hereditas ad tempus, vel sub conditione dari non potest, neque in annos distribui, ut antiquioribus relatis, ita distinguendo firmatur in Imolen. honorum 31. Maji 1613, coram Cocquio, que reputatur in materia magistratus cum concord. per Addenac Greg. disc. 187. & frequenter, cum sit distinctio recepta; Ideoque huic mulieri expediebat esse effectus legatariæ, quam herede dem; Sicut è converso ad predictos alios effectus educatio viduitatis, vel trebellianicæ, ac similes res est in oppositum.*

Cum igitur in ista causa pendente coram A. C. Scribentes hinc inde in dicta theorica, sui distinctione concordarem, ideoque restringeretur questio ad applicationem; Dicebam scribens pro muliere etiam cum sentio veritatis, qualem credo, quod Juxta agnovisset, ei concedendo absolutioriam, quod licet apud antiquiores magna, involutaque fuerit ista questio, in qua DD. hinc inde per classes cissi sunt, ut patet præsertim ex plene relatis per Bellon. jun. *de iur. accresc. c. 7. q. 16. ubi ex numer. 181.* quætionem disputat ad partes, atque utriusque opinionis sequaces, & fundamenta expendit; At tamen hodie ex magis communi, & vera sententia receptum est in foro pro regula, ut heres institutus in usufructu habeat loco legatarii, vel heredis particularis, ille verò qui in proprietate instituitur est, censetur primus, ac directus heres ab initio juxta plene firmata per Bell. jun. *ubi sup. Capp. Latreoni sub. 112. & 147. Marcian. jun. disc. 99.* & hanc perpe tuo tenuit Rota, præsertim à tempore que cor. Merlini articulum ex professo disputavit, ut apud eum *dec. 505. repet. dec. 22. p. 1. rec. dec. 130. & 172. p. 2. cum aliis in d. Imolen. prædicti sub tit. de legit. & accresc. disc. 33.*

Est bene verum quod ista non est regula necessaria, cum nullibi lex eam expresse statuerit, sed solè presumptiva, quod scilicet magis communis DD. schola id credat disponens voluntatis magis adaptatum; Et consequenter ubi diversæ voluntatis præbatio etiã circumstantiis, seu conjecturalis accedat, concordant omnes ut ista attendi, ac prevalere debeat, cum nulla subdit ratio dubitandi, ut apud eisdem supra allegatos.

Quales autem sint presumptiones, & conjecture, unam, vel alteram voluntatem sentientes, late præcæteris deducit, ac elaborat expendit Bellon. jun. *loc. cit.* ubi videri potest; Ad illud tamen advertendum, quod non ex eo, ut aliquæ con-

conjectura, canonizata, vel rejecta quando sint, ita exinde in omnibus aliis casibus amplectende, vel recedende veniant, quoniam totum pendet ex facti qualitate; & circumstantiis, ex quibus in uno casu mercantur amplecti, & in alio rejici, ut in fideicommissaria materia frequenter advertitur.

Applicando autem ad hanc facti speciem; Agebatur de testamento viri idiotæ, quod rudi, & grossolano modo conceptum erat, unde propterea omnino improbabile dicebam, ut testator ad hujusmodi subtilitates cogitare potuerit; Et quod magis, non adeo abhorruerat secunda nuptias, dum etiam in eorum casu, aliquas vestes, aliaque bona mobilia uxori reliquit; Ideoque improbabile est, ut ad fructuum perceptorum, & consumptorum restitutionem eam obligare voluerit; Atque attendendo substantiam voluntatis potius quam hujusmodi Juristarum subtilitates, ea mihi videbatur, quod usquequo mulier in statu viduitatis permansisset, voluerit testator, ut tanquam adhuc faciens figuram sui uxoris, commode, ac decenter viveret, postquam verò per transitum ad alias nuptias hanc figuram amplius non faceret, tanquam ex cessante causa, hoc subdidit cessare, non autem, ut obligata remaneret, ita remanere indotata, restituendo fructus in statu bonæ fidei consumptos &c.

**ROMANA HÆREDITATIS DE GUEFFIR  
PRO CHRISTOPHORO, ET ALIIS.**

CUM

CONVENTU MINIMORUM AD MONTES.

Causa disputata coram A. C. scripta per concordiam.

An & quando institutio heredis in bonis alicujus Civitatis, vel Provinciæ, dato alio herede in reliqua universitate, dicatur hæres universalis, vel particularis; Et de duplici herede, vel duplici hereditate, an & quando detur in eodem defuncto.

SUMMARIUM.

- 1 Facti series.
- 2 Remed. l. fin. C. de edicto Div. Hadr. non competit heredi particulari.
- 3 Heres particularis non detrahit falcidiam.
- 4 De diversitate patrimoniorum ad materiam text. in l. f. ceterum.
- 5 De hac diversitate in feudatariis, & clericis.
- 6 De ratione dicitur diversitatis.
- 7 De pluralitate patrimoniorum in eodem genere feudatariis.
- 8 In paganiis non datur hæc distinctio.
- 9 Non attenditur formalitas verborum an sint universalis, vel particularis, sed substantia dispositionis.
- 10 Quando in pagano detur duplex patrimonium natione diversarum negotiationum.
- 11 De eadem diversitate ratione statutorum.
- 12 Quod detur eadem distinctio ratione diversitatis Principatum.
- 13 De conclusione quod quilibet sibi censet in suo.

DISC. III.

**S**tephanus Gueffir Gallus, quòlongo tempore pro servitio proprii Regis in Curia vitam duxit, in testamento condito de anno 1665. afferendo de bonis in Gallia & alibi existentibus, jam per alium testamentum disposuisse ad favorem Christophori nepotis, volensque disponere de bonis Urbis consistentibus in locis montium, nominibus debitorum, & suppellectilibus, factis de eisdem bonis aliquibus legatis, heredem scripsit Conventum Minimorum SS. Trinitatis ad Montes, præscriptis operibus, in qua dicta bona erogari deberent, deindeque in codicillis alia fecit legata, præsertim dicto Christophoro nepoti reliquit quendam suppellectilia, & notabilem partem illorum locorum montium, quorum pretium d. Conventum in testamento in destinata opera erogari mandaverat; Quare inter Christophorum, & Conventum, orta controversia coram A. C. punctus disputationis erat, quis eorum esset heres, vel legatarius respectivè, tam circa montium, cui scilicet debita esset immisio ex beneficio text. in l. fin. C. de edicto. Adr. coll. dum ex magis communi & recepta opinione illud com-

petit heredi universali, non autem particulari, ex iis que antiquioribus relatis habentur apud Menoch. *de adyiscent. remed. 4. qu. 19. n. 32. & seq. Argel. de acq. poss. qu. 17. art. 2. n. 14.* plenè Rot. in Fanen. seu Senegal. bonorum 14. Martii 1646. cor. Melio impress. post Patitell. dec. 35.

Quamfortius ob competentiam falcidie, cujus ratione defensores dicti Conventus hanc litem assumpserunt, quoniam cum nulla ejus prohibitio legeretur, ea Conventui debita fuisset, quatenus dici posset heres universalis; Secus autem ubi particularis in re certa instituitur ad text. in l. i. *lex falcidia. s. nunquam. ff. ad l. falcid.* cum concord. per Peregr. *de fideicomm. art. 3. num. 5.* Nulla tamen prodiit resolutio, dum concordia controversæ finem dedit, quoniam Christophoro, & aliis, cum naturali Gallicana impatentia, volentibus ad patriam regredi, litis mora nimium displicebat, eaque tolerari non potuit.

In disputationibus autem de super habitis; Scribentes pro Conventu, se præcedente heredes universalem bonorum Urbis fundamentum constituebant in dispositione textus in l. *ficciarum. s. Julianus. ff. de militar. testam. c. l. heres in princ. ff. fam. ercisc.* cum ibi communiter notatis; Istorumque jurium dispositionem rectè applicari dicebant ad casum, dum testator patrimonia distinguere voluit, Gallicum scilicet & Italicum; In uno instituendo Christophorum nepotem, & in altero dictum Conventum, quodque propterea ambo discretivè dicendi esset heredes universales in quolibet patrimonio; Adinstar illius duplicis patrimonii, & consequenter duplicis heredis universalis, ac duplicis hereditatis, quæ in iure communi dantur in milibus habentibus heredem militarem, & heredem paganicum, quod hodie praxis docet in feudatariis duplex patrimonium, & consequenter duplicem heredem universalem habentibus in feudatariis, & alodialibus, respectivè, ex iis, quæ habentur pluries *sub tit. de feudis, præsertim disc. 21. & seqq.* Accetiam habemus in clericis, qui milites caelestis militia dicuntur, duplex habentibus diversum patrimonium, duplicemque heredem universalem Ecclesiasticum, & profanum, ex pluries deduct. *sub tit. de testam. ac etiam sub tit. de benef. disc. 81. & 100.* Atque super his, pro conficito inpro transcriptorio stylo, chartæ copiosis allegationibus implebantur, magisque superflui apparatus fiebant, sed inutiliter utpotè super notariis propositionibus, quastamquam præsupponendas, sufficiebat infirmare, dum non controvertentur.

Scribens ego pro Christophoro, & legatariis, qui illi adharebant, ad effectum impediendi detractionem falcidie, (& pro effectu principaliter hujusmodi disputationes habite fuerunt, cum alter punctus ordinis, seu competentie, vel incompetencie dicti remedii, parum, vel nihil refert;) Dicebam quod omnia præmissa in abstracto, vel in suo casu essent vera, quodque abque tam improbo inani labore sufficiebat ea infirmare; Verum fallacia manifesta erat in applicatione, cum rectè procedant in ea persona, que ratione adjuncti ministerii, quamvis materialiter unica, formaliter tamen duplex, vel multiplex esse potest, ut fuit in hoc proposito, milites, ac feudatarii, & clerici; Quoniam ex persona propria iure privato, unus reputatur paganus suum habens paganicum, seu privatam patrimonium, ac heredem, eo modo quo habet quilibet privatus homo de hoc mundo; Ratione verò feudii, vel militiae, seu clericatus reputatur homo diversus.

Quinimo in feudatariis, etiam in eodem genere feudorum, dantur diversa patrimonia universalis, pro diversitate Principatum inter se non connectentium, quamvis unica sit persona, adinstar plurimum Ecclesiarum Cathedralium æque principaliter unitarium, ac existentium tunc regimine unius Episcopi, ex deductis *sub tit. de præsumpt. disc. 7.* Et ad instar plurimum Regnorum, vel Principatum ab eadem persona, vel corona possessorum sub diversis titulis quolibet eorum propriam, ac separatam naturam retinente ex deductis *eodem tit. de præsumpt. disc. 29.* Et de feudatario habente plura feudis, vel dominiis diversis principibus, habetur actum *sub tit. de iur. facti. disc. 90.* & in his terminis procedit dispositio dictorum jurium cum ibi notatis.

Secus autem ubi dicta personarum reduplicatio cessat, atque in eodem testatore unica consideretur persona pagani, seu viri privati, quoniam hic prohibetur duplex patrimonium diversum, duplicemque separatam universalem heredem in solidum habere; Neque in hoc, regionum, vel provinciarum diversitas quidquam operatur, ad text. in l. *Jurisperitos. s. cum omnibus. ff. de excusat. tutor. cum.*

quam concordant. apud Alex. consil. 31. num. 9. l. 1. Salg. in laby-  
rintho par. 2. cap. 12. ubi plenè de more alios colligit Rota apud  
Royas dec. 267. repet. dec. 223. num. 20. cum seqq. post Zach.  
de oblig. camer. dec. 51. n. 1. post Merlin. de pign. & in aliis.

Atque in his sanctibus, dicebam nil referre, quod in pos-  
teriori testamento ad favorem dicti Conventus testator  
usus edis verbi universalibus, quoniam in hac materia non  
ascenditur formalitas verborum, sed substantia veritatis,  
9 ideoque nihil refert, quod universitas patrimonii, seu ha-  
reditatis relinquatur sub verbo particulari legati, nam ad-  
hereditatis; Et è converso nihil refert, quod rei particu-  
lari adjectum verbum universale institutionis, quoniam ad-  
hereditatis importat legatum, vel institutionem particularem. Quo-  
tiones tamen ad datus sit heres universalis, quo non dato,  
universalitas bonorum profecta remanet ad tollendam qua-  
estione, de qua disc. seq. an scilicet ille, qui ex beneficio  
iuris accretendi, sine ex iuris regula, ne quis decedat pro  
parte testatus, & pro parte intestatus, legis ministerio effi-  
ciat heres universalis, per dispositionem particularem cen-  
satur gravatus, necne, hereditatem restituere venientibus  
ab intestato; Sed ubi iam adest heres universaliter institutus  
in aliis bonis, quam in istis, in quibus limitata alter institutus  
est, tunc universalitas verborum apta non est immutare  
substantiam dispositionis particularis ex relatis per Romam  
apud Royas d. dec. 268. repet. dec. 223. post Zach. de oblig.  
camer. & dec. 63. n. 26. & dec. 64. n. 10. cum seqq. post Merlin.  
de pign. apud Capr. Latr. consil. 10. n. 13. & commentiter.

Et quamvis, etiam in pagano, praxis doceat diversita-  
tem patrimoniorum, etiam cum incompatibilitate inter se  
ipsum, quodque unum potest esse creditor alterius, seu em-  
ptor, & venditor, ac mandans, & mandatarius, ut habeat  
10 plures sub tit. de cred. At tamen, ut ubi advertitur, id  
provenit, quatenus accedat mixtura tertii interfecti; Vel  
quod sit negotium sociale, in quo cadat d. replicatio per-  
sonarum; Vel quia negotiationes ista distincte sint, ac om-  
nino independentes; Atque eodem modo, quo unus, &  
idem homo, in bonis privatis indifferenter, pagani, seu  
privati personam representant, in militaribus vero, seu feu-  
daliibus representant personam militis, seu feudatarii, ita po-  
test quis representare duplicem personam, unam viri priva-  
ti indifferenter, & alteram mercatoris, ex ibi ponderatis,  
ad effectum habendi duplicem heredem universale in solidum,  
adhuc neciam non dedit formiter disputare, quamvis pro  
affirmativa omnium conferre videantur decisiones editæ in  
Rom. de Ceulis cor. Orano apud Grat. disc. 236. n. 6. &  
seq. in quibus firmatur, quod donatio, vel alia dispositio  
mercatorum, seu rationis bancarie dicitur universalis, cum  
ita continet in se universalitatem iuris activi, & passivi.

Praxis tamen docet, etiam in pagano, diversitatem ha-  
redis, cum diverso modo succedendi, ob statuta diversimo-  
di in successibus disposita, presertim in mulieribus,  
11 quibus in plebione Civitatibus, vel regionibus prohibita  
est dispositio extra filios, quoniam bona existentia in terri-  
torio sita tenentis efformare dicuntur unum patrimonium, in  
aliis vero alterum diversum, atque ita unus, & idem, quan-  
vis privatus, seu paganus reputatur duplex, seu multiplex,  
ut apud Merlin. dec. 228. & 853. apud Royas dec. 157. cum  
concordantibus sub tit. de successibus; Verum id provenit  
etiam plures sub tit. de successibus; Verum id provenit  
ex potentia legis, non tamen exinde inferri posse videtur  
ut privatus homo ex ejus privata dispositione id indolere  
valeat, ex vulgari regula, seu axiomate, quod nemo face-  
re potest, quin leges locum habeant in ejus testamento.

Reflectendo autem ad hanc facti speciem; Quando hic  
testator distinctè patrimonium, cum distinctione verè uni-  
versali, constituit ex diversitate Principatum omnino di-  
versorum, quorum unus omnimodum independentem ab  
altero habet, adeo ut dici non possit, quod esset unus Prin-  
cipatus, unaque lex, quæ ex eadem autoritate, utriusque  
12 Provincie, vel Principatus sit communis; Tunc, reflecten-  
do ad veritatem, dicebam quod iste concursus duplici he-  
redis universalis, etiam non data militari qualitate, & veri-  
ficabilis esset; Verum omnino non fuit hæc disputatioem as-  
sumere; Tum ob concordiam ut supra celeriter controver-  
sia finem dante, Tum ob cessantem assentientiam facti, cum  
hec institutio favore Conventus, restricta esset ad bona Ur-  
bis, cum eorum specificatione, consentientia scilicet in locis  
montium, nominibus debitorum, & illis mobilibus, de qui-  
bus per particulare legatum dispositum non esset; Dicta ve-  
ro circumstantia accedente, quod scilicet testator unum he-  
redem instituit in bonis existentibus sub Imperio, seu Mo-

narchia Regis Galliarum, & alterum in omnibus bonis, &  
juribus existentibus in universa temporali ditione Ecclesie,  
sive in dominiis, ac universa Monarchia Regis Hispania-  
rum &c. Tunc advertentiam, quod rectè post se esse con-  
cursum duplici diversi heredi universalis, ex istem ratio-  
13 nis, & fundamentis, ex quibus in Romana consecratio-  
nis pro Marchione Frangipano cum Camera; distinguebant  
conclusionem, seu questionem, an data publicatione bono-  
rum in uno territorio, seu loco, sub eo veniant bona in aliis  
Civitatibus, & territoriis existentia, adeo ut quilibet con-  
secrare possit in suo, ad intelligentiam theor. Barthol. in l. 1.  
C. de sum. Trinit. n. 50. & 51. de qua præ cæteris omnium  
latius, ac ad satisfactum agit Bell. jun. de iur. accret. c. 10.  
q. 3. & habetur de dicta causa sub tit. de Regal. in suppl. Si  
enim, ex ibi deductis, dari potest, ut unus, & idem, pro  
Imperiorum diversitate, in uno Imperio, vel Principatu,  
possit esse servus pignæ, & in capax habendi heredem, in  
altero autem ingenuus, ac liber homo, capax habendi he-  
redem, hinc de consequenti in trat etiam ista compatibilitas,  
quæ resultat à iure Romano, ac eundem effectum ope-  
ratur in ista illud Imperium, intra quod ex eadem authorita-  
te id jus commune fit; Secus autem è converso, ubi data  
etiam diversitate Principatum independentium, intrare  
generaliter consecratio favore ejuslibet sit in suo; Ideo-  
que istæ conclusiones connexæ videntur, atque decisio  
unius confert ad decisionem alterius; Atque ad idem con-  
ferunt deducta d. disc. 90. de iur. fisca.

SPOLETANA  
PRO N. BERARDELLA.

Responsum pro veritate.

Heredum appellatione, an veniant solum primi;  
& immediati, vel etiam secundi, sive mediati,  
& ulteriores.

S U M M A R I U M.

- 1 Facti series.
- 2 In odiosis appellatione heredis venit solum primus he-  
res.
- 3 An obligatio cameræ sit continet obligationem bonorum  
secundi heredis.
- 4 Ususfructus constituitur etiam pro herede, an transeat ad  
secundum heredem.
- 5 De emptione, & venditione ad vitam.
- 6 Appellatione heredum, qui veniant.
- 7 De eodem, & quando etiam in indifferenter veniant  
solum illi sanguinis.
- 8 Licet veniant isti, quod etiam requiratur qualitas he-  
reditaria.
- 9 Contrarium ex verisimili voluntate, cuius substantia at-  
tendi debet.

D I S C. IV.

Pompeus, & Berardelli pater & filius, vendiderunt  
Pompeo, & Olimpie prædium ad solam vitam ipsorum  
venditorum, ac heredum Berardelli, & non ultra, adeo ut  
eis defectis venditio resoluta censeretur; Ex Berardello au-  
tem tres fuerunt superflites filii, unus scilicet masculus, &  
duæ femine, sed solus masculus, stante statuto exclusivo  
feminarum, eaque extraneas faciente, hereditatem obti-  
nit; Cùmque filius magis contigisset superflite N. Berardel-  
la filia, & herede, hinc ex istius parte, tanquam ob factum  
casum resolutionis contractus, ne potum fuit iudicium in par-  
tibus super dicti prædii vindicatione contra emptorem, seu  
alterum ab eo causam habentem, per quem obiciebat, q. 13  
de non factis casu; Tum ob existentiam ejusdem adriæ, q. 13  
tanquam nepotis, & heredis mediati Berardelli venditoris ve-  
niret sub dicto nomine heredem ex vulgari axiomate, quod  
heres heredis testatoris est heres, idque istud vocabulu-  
9 m conveniret tam immediato, quam mediato heredi;  
& immediato, adhuc tantum oblatret superviventi ad filium  
primi gradus, unde desuper ex parte dictæ adriæ consil-  
sus fuit.

Distinguendo autem causam in duos punctos; Primo scilicet  
an heredum nomine veniret ipsa adriæ; Et secundo, an  
veniret dictæ filie nomine venditoris, quamvis ad ha-  
reditatem rei familiaris ex clausa.

Ad primum respondit, probabilior videri negativam  
dicto axiomate non obstantem; Tum ex conclusionem, seu regu-  
la;

la; quod in odiosis & gravatibus, appellatione heredis,  
venit solum primus, & immediatus, non autem secundus,  
& mediatus, ad text. in l. casala 2. §. Pomponius, ff. de min.  
& l. unica, §. fin. autem C. de caduc. toll. Bald. in l. ult. n. 60.  
& 61. C. de hered. inst. Peregr. de fideic. art. 32. n. 69. Fufar.  
qu. 344. n. 9. Castill. l. 2. contr. c. 22. n. 65. & l. 5. c. 96. num. 38.  
cum concord. deductis sub tit. de cred. disc. 38. occasione  
3 agendi de puncto, an conclusio quam in Curia habemus re-  
ceptam, ut sub obligatione cameræ veniat etiam hypothe-  
ca bonorum heredis, procedat solum in primo herede, vel  
etiam in quocumque quamvis mediato, de quo ibi.

Tum clarius ob dispositionem, vel rationem text. in Lan-  
guetas, C. de usufr. de cuius materia habetur actum sub tit.  
de feud. disc. 62. ut scilicet relicto, vel concessio usufructu  
transmissibili ad heredes, intelligatur de primis tantum,  
4 non autem de ulterioribus, ne detur multiplicatio exorbi-  
tantiarum contra naturam ususfructus, qui redolet servitu-  
tem personalem.

Id etenim subiectæ materiæ venere dicebam, cum  
ita constaret venditores noluisse vendere ipsam rem, ejusque  
substantiam in perpetuum, sed solum facere voluisse contra-  
ctum illius vitalitatis concessionis, de qua sub tit. de empt. &  
vend. disc. 1. & sic vendere solum certas vitas, seu commo-  
ditatem istis duratibus; Ad instar illarum concessionum,  
quæ sunt ad vias, vel alias certas generationes cum solo of-  
dine in diu, ut scilicet quemadmodum hujusmodi contra-  
ctus ad vitam, vel concessionem ad generationes regulariter  
respicunt vitam emptoris; vel concessionarii, isti respeciant  
vitam, vel certam generationem venditoris, seu conceden-  
5 tis eodem modo, quo quandoque prædicatur in societatis of-  
ficioium contracti solitis super periculo vite creditoris, nam  
quandoque contrahuntur super vita debitoris, ut in sua ma-  
teria sub tit. de societ. off. l. 5. de usufr. Vel magis ad rem, ha-  
bemus in cessione commoditatis pensionum Ecclesiasticarum,  
vel officiorum, seu feudorum, vel bonorum fideicom-  
missariorum & similium, quod venditur vita venditoris, ac  
etiam aliorum, in quibus d. ius daret; Neque alias iste con-  
tractus intelligi poterat, quoniam dictum axioma, quod  
heres heredis testatoris est heres, ita procedit in secundo,  
ac in tertio, & quarto, vel quocumque alio ulteriori; un-  
de propterea d. limitatio remaneret de vento minquam ve-  
rificabilis, & consequenter in hac prima parte planum vi-  
debat, ut intelligendum esset de primis, ac immediatis, &  
consequenter quod existentia adriæ non obstatet.

Major autem difficultas residebat in altero puncto, quam-  
vis etenim regula fir, ut in bonis indifferenter ad heredes  
extraneos transitoris, appellatione heredum veniant illi rei  
6 familiaris, quinimo etiam in materiis differenteribus, ut sunt  
feuda, emphyteusis Ecclesie, ac fideicommissa, & majora-  
tus, aliaque similia, in quibus regulariter non veniant nisi  
illi sanguinis, adhuc tamen utraque qualitas requisita vide-  
tur, ut habetur presertim sub tit. de feud. & sub tit. de em-  
phyt. & sub alio de fideic. ac alibi; Et consequenter quod  
ubi etiam in illo contractu imo super bonis indifferenteribus  
de sui natura transitoris ad extraneos, ex verisimili partium  
7 intentione istud verbum heredis non congrueret nisi illis san-  
guinis iuxta communem usum loquendi rusticorum, & idio-  
taram, qui loquendo etiam loquendi rusticorum, & idio-  
taram, ut loquendo etiam de fœtibus animalium, heredes  
vocat, unde plures conventiones ego vidi super venditio-  
nibus, vel divisionibus, quod enunciando equas, vel vac-  
cinæ, seu afinas cum pullo dicunt cum herede, sub cuius no-  
mine explicatur pullus, quem iam haberet; Nihilominus id  
convenire deberet solum illis heredibus sanguinis, qui ha-  
berent etiam qualitatem hereditariam, & non alias ex de-  
8 ductis loc. cit. de emphyt. & de fideic. Et his stantibus tunc re-  
spondi, quod existentiam adriæ feminarum oblatre non debe-  
ret, dum ipsæ tanquam adriæ à statuto, ac effeclæ ex-  
traneæ, qualitatem hereditariam non habebant.

Verum deinde, maturus reflectendo, contrarium proba-  
bilis videbatur, ex verisimili Partium voluntate desumpta  
9 ex qualitate personarum, earumque loquendi modo prædi-  
cto, quo attento substantia veritatis esse videbatur, ut ista  
esset specie concessionis ad tertiam generationem, compre-  
hendenti persona generatis, idest Pompei patris constitutis  
Berardelli constitutum tertiam, considerando heredes  
in genere, idest filios, ac universam generationem, cum con-  
tractibus utroque idotis non congrueret istæ subtilitates,  
itaque rectè intrare observabam veram, ac ante omnia à  
Iudicibus præ oculis habendam propositionem, ut in omni-  
bus humanis actibus, non cortex, & formula verborum,  
sed substantia veritatis, ac verisimilis voluntatis attendi de-

Card. de Luca, Lib. IX.

beat, ut ferè in omni materia nimium frequenter (fortè ut  
que ad fastidium, nunquam tamen superflue, ac inutiliter)  
advertitur, quoniam eff. propositio in foro, nedum utilis,  
sed præcisè necessaria.

ADNOT. AD DISC. IV.

Appellatione heredum quam veniant, deductum ha-  
betur sub tit. de fideic. disc. 125.

ROMANA DIVISIONIS HÆREDITATIS  
I N T E R  
HÆREDES ANTONINI DE ANGELIS.

Responsum pro veritate.

Successio testamentaria inter nepotes ex duobus  
fratribus in numero inæquali, quia nempex  
uno fratre sint tres, vel quatuor; & ex altero  
unus, vel duo, an debeat esse in capita, vel in  
stirpes.

S U M M A R I U M.

- 1 Facti series.
- 2 Scripser testamenti est bonus interpret.
- 3 Quomodo indagandum, an heredes sint vocati in capi-  
ta, vel in stirpes.
- 4 Agitur de ista questione in casu dubio, expenduntur opi-  
niones, & dantur distinctiones pro decisione.
- 5 De eadem questione in concessione emphyteuticæ remis-  
sive.

D I S C. V.

In testamento, quod lingua materna, crasso ac rudi sty-  
lo cuiusdam Religiosi, condidit Antonius de Angelis,  
instituit plures ex uno fratre prædefuncto nepotes, quorum  
unum primogenitum sibi cognitum proprio nomine appel-  
lavit, alios vero expressit sub nomine collectivo fratrum dic-  
ti instituti, seu filiorum fratris defuncti, deinde cum  
nova periodo concepta per ditionem, Item, instituit in-  
solidum cum eis alterum nomine proprio, seu appellativo,  
qui ex altero pariter prædefuncto fratre solus erat super-  
stes; unde propterea orta extrajudiciali controversia inter  
eos, super dictæ successione modo, an scilicet esse deberet  
in stirpes, vel in capita, desuper pro veritate concorditer  
per utramque partem consultus,

Respondi in primis adhibendas esse diligentias in facto,  
ex cuius circumstantiis desumi posset expressa, vel conjec-  
turalia testatoris voluntas, quæ omnem dirimeret questio-  
nem, tam cum Religioso scriptore testamenti, quem DD.  
dicunt opportunum ambigui voluntatis interpretem, Man-  
tie, de conjectur. l. 3. tit. 1. n. 33. Rovit. prag. 2. de Notar.  
num. 20. & sapius sub tit. de fideicom. & sub altero de testam.  
Quam etiam in indagandis verbis, quæ testator ante, vel  
post testamentum dicere solitus esset, ac etiam inspicendo  
statum dictorum nepotum, an scilicet illi, qui erant plures,  
3 de bonis magis provisi essent, itaut ad adequandam for-  
tunam, voluerit uni soli relinquere id, quod pluribus relin-  
quebat, sive an erga istum urgeret aliqua ratio majoris di-  
lectionis, ac majoris meriti; Et in summa inquirendo sub-  
stantiam verisimilis voluntatis, potius quam formulam ver-  
borum; Potissimum dum agebatur de testamento condito per  
virum idiotam, atque extenso per inexperum Religiosum,  
vix ac inefficaciam verborum, seu diversæ orationis non cal-  
lentem.

Quatenus autem hæc omnia deficerent, adeo ut versa-  
remur in casu merè ambiguo, cum solis regulis juris deci-  
dendo; Advertentiam articulum esse adeo dubium, ut Ro-  
4 ta in Clusina hæreditatis coram Merlin. inter suas dec. 570.  
alias 180. par. 6. rec. ob votorum discordantiam capere non  
poterit resolutionem, unde propterea illa decisio continet  
potius discursum opinionum hinc inde; Quod enim succe-  
sio debebat esse in stirpe, urgent textus, qui videntur expres-  
si in l. interdum, & l. Titius fundi, ff. de hered. inst. l. pla-  
ne 1. §. 1. ff. de legat. 1. l. Sempronius, §. fin. ff. de usufr. legato.  
in quibus disponitur, ut vocatis aliquibus per nomen col-  
lectivum, alia vero persona per nomen proprium, quali-  
bet vocatio constitutere dicatur unus corpus, ideoque tanta  
sit portio omnia contentorum in prima, quanta illa  
unius, & post alios per eos deductos habetur apud Laderch.  
conf. 18. n. 2. Giovagn. conf. 23. n. 1. lib. 1. & alius, de quibus  
apud Merlin. d. dec. 570. n. 1. cum seqq. & habetur plures  
L 4 actum

actum sub tit. de iurpatr. in qua materia frequenter iste controversia contingunt.

E converso autem, ut esse debeat in capita, ut hereditatio resultans ex ordine intestate successione, qui iuxta magis communem, ac hodie receptam opinionem Azzonis contra Accursum inter plures fratrum praefunctorum filios ob cessantem necessitatem representationis cum patre, est in capita ex deductis in huius causae decisionibus infra allegandis, ac etiam de 600. p. 5. rec. Prati. obser. 11. & passim, cum praefunctorum sit, testatorem voluisse se conformare cum ordine praedicto, Atque in dicta Clusina post editum dictum discursum, de quo d. decis. 570. Merlin. alias decis. 180. p. 6. rec. iuxta hanc secundam opinionem ex dicta porrius ratione capta fuit resolutio, ut liquet ex dec. 499. obs. dem Merlin. 631. alias 278. par. 6. res. confirmata etiam coram Panziolo dec. 238. p. 7. Unde propterea cum in Curia magna sit Rotae auctoritas, nimiumque vigeat usus pragmaticus procedendi cum decisionibus, eis simpliciter acquiescendo, non indagando casus, vel rationis diversitatem, hinc dicebam quod ubi ad forum controversia deduceretur, probabiliores essent partes volentium succedere in capita.

Verum quia superius allegata iura pro successione in stirpes videntur nimis urgentia & clara, unde propterea induci non poteram ad determinate respondendum pro dicta successione in capita, stante praesertim mea consuetudine, (sive bona, sive mala,) non de facili acquiescendi decisionibus, & auctoritatibus; Hinc ponderabam, quod dicta decisio prodierat ex facti particularibus circumstantiis, ob quas, vota aliam in puncto iuris discordantia, in eam devenirent sententiam; Dicitur autem circumstantia in praesenti non concurrere, ideoque non poterat exinde constitui regula generalis cuiusque casus applicabilis, sed potius ex allegatis iuribus constituenda videtur regula in contrarium pro successione in stirpes, quoties ut supra, per duas orationes, seu vocaciones separatas, vel etiam per unam orationem, continentem tamen duos diversas vocandi modos, unum scilicet per nomen collectivum, alterum vero per appellativum, dispositio concepta est.

Dicta vero regula limitata venit, ex diversa testantis voluntate ex conjecturis, aliisque circumstantiis desumenda, ob receptissimam, ac perpetuam praec oculis habendam propositionem attendendi magis substantiam voluntatis, quam formulas, & figuras verborum, ut constat factum esse per Rot. in allegata dec. 631. Merlini, in qua considerata fuit; Primo, quod institutio haereditum concepta erat cum uno, eodemque verborum contextu, sub uno verbo utramque vocacionem regente; Secundo, quia ibi aderat clausula pro aequali rata & portione, quo casu satis urgere videtur textus in eadem l. interdam, supra allegata, ubi dicitur exornat Giovang. d. consil. 24. Tertio, quod omnes nepotes vocati fuerunt nominibus propriis, unde propterea non urgebat ratio diversae, seu discretivi modi vocandi, quo concurrente ibi admittitur, ut regula sit in contrarium pro successione in stirpes; Quarto, quia in quibusdam praesentibus, testator aperte eius voluntatem declaraverat, ut partiri deberent in capita; Et demum clarius, quia constabat ex aliis facti circumstantiis de majori testatoris dilectione erga duos nepotes ex uno fratre, quam erga alterum, qui minus dilectus ita remaneret magis privilegiatus, ideoque dicta decisio fuit magis ex facto, quam ex iure, in cuius simplicibus terminis assilire potius videtur successio in stirpes.

In hac igitur facti specie praedictae circumstantiae cessabant, vel saltem non iustificabantur, atque attentatae, seu verbali contextura testamenti, potius videbantur esse in casu opposito; Tum quia utraque vocatio concepta erat per separatas orationes a distinctis verbis rectas; Tum fortius ob dictam discretivam, quod una vocatio esset collectiva, & altera appellativa; Solumque aliquam difficultatem inferre videbantur illa verba, In solidum con. si. fudetti; Cum enim verbum, In solidum, importet totum in singulis ex deductis per Barb. claus. 72. hinc desumi videtur, quod testator constituitur noluisse diversa corpora, vel facere diversas partes hereditatis, sed vocare omnes pariformiter & eodem modo, perinde, ac si dixisset, aequaliter seu aequi portionibus, quoniam licet text. in l. interdam consideret verba proxime relata, nihilominus sufficerent aequipollentia, qua eundem sensum habeant, ut plene Giovang. ubi sup. Verum & converso ponderabam, quod ista verba utpote aequipollentia, & adintra esse non possunt maioris efficaciam, & operationis, quam si expressis diceretur aequi, seu pro aequali, & tamen ista neque sufficerent

quoties vocaciones conceptae essent per orationes separatas, & fortius ubi cum dicta discretiva, ut liquet ex edita decisionibus coram Merlini.

Hinc proinde casus me tenebat ancipitem, quoniam iuris regulae me cogebant ad respondendum pro successione in stirpes, praesertim, quia in intestata successione neque absolutum, ac iure expressis determinatum est, illam esse diverso modo, cum id solum proveniat a quadam magis recepta, sed satis controversa opinione; Et contra, stante mihi cognita qualitate testatoris, quodque rudi & crasso modo, testamentum a simplici, ac inexperto Religioso conceptum esset, naturalis discursus magis impellebat ad respondendum pro aequalitate inter omnes; Ideoque concludendo dicebam, ut adhiberi deberent diligentiae praedictae, quodque forsitan factum dimeret difficultatem; Eis vero non suffragantibus, ut tunc casus esset aliqua concordia dignus, per quam nepos unicus non haberet integram medietatem iuxta successorem in stirpes, minimeque solam virilem iuxta successorem in capita, Et de successione plurium nepotum in capita in concessione emphiteutica habetur actum sub tit. de emphy. disc. 17. ibique deducta ad rem conferunt.

ANNOT. AD DISC. V.

De successione in stirpes, vel in capita videri poterunt deducta sub tit. de iudic. disc. 19. & 22. de success. ab intestato, disc. 1. & 8.

JANUEN. HEREDITATIS PRO STEPHANO FRANZONO.

Responsum pro veritate.

An aequalitas ordinata per testatorem inter haeredes per quotas, cesset per subsequendam assignationem, quam testator in codicillis uni cohaereditarij facit, Vel potius assignatio censeatur facta, ut cedere debeat in propriam quotam.

S U M M A R I U M.

1. Facti series.
2. Ut assignatio facta haeredi importet praerogativam.
3. Contrarium ubi est expressa quota, seu portio.
4. Plus credunt homines habere in bonis, quam habeant.
5. Dator auctoritas specialis, vel similis.
6. Ad quid profici assignatio.
7. Ademptio, seu mutatio voluntatis non praesumitur.
8. Praesumptio est pro aequalitate.
9. Quomodo generalitates attendenda veniant.
10. Respondetur ad conclusionem, de qua n. 2.

D I S C. VI.

In testamento condito per Baptistam Rivavolam, ultra quoddam praerogativam factum Stephano ex Placidia filia nepoti cum onere fideicommissi, quod non erat in quaestione, haeredes pro tribus ex quatuor partibus aequaliter ferebantur Placidiam, & Catharinam filias, eundemque Stephanum, reliquam vero quartam in quaestione operam erogari voluit, atque ut omnimoda aequalitas servaretur, mandavit, ut per iudicem portiones fierent forte extrahendae, deindeque in codicillis, ultra plures dispositiones ad rem non facientes, assignavit Stephano quandam villam, aliisque bona, quae in eius quartam partem cedere voluit; Cumque firmato statu hereditatis, detrahitque legatis, aliisque oneribus compertum esset, quod bona Stephano assignata longe quartam partem excederet, imo etiam dimidiam, hinc dubitari contigit, an ea ex dicta codicillari dispositione Stephanus ob excessu vero dimittere bona, aut solvere praerogativam ad commodum cohaereditum, quare desuper pro veritate consulit.

Respondi, quod primo aspectu dicendum esset, ut integra bona Stephano iure impliciti praedicta debita essent iuxta theoreticam Castrensi in l. quoties, C. tam. ex. scilicet per illum textum, ut assignatio facta per testatorem ad favorem unius, vel plurium ex haeredibus, servari debebat, quamvis dixerit eos aequaliter instituire quoniam illud plus, iure praerogati reliquum censetur, sequuntur Parisi. consil. 34. n. 17. & sequ. lib. 2. Jac. consil. 18. lib. 1. Morot. consil. 79. Decian. consil. 15. num. 11. lib. 1. & consil. 106. numer. 1. lib. 2. Simon de Pret. de interpret. lib. 3. interpret. 1. dubit. 5. solut. 2. numer. 8. Gail. lib. 2. observ. 116. numer. 2. cum sequ.

sequ. ubi in specie, quod in codicillis fieri possit, quamvis aequalis institutio facta sit in testamento; Et conferunt in idem firmata per Ang. consil. 394. & sequ. ubi quod relicta uni filio in sui partem vi praerogati, obtinentur in excessu supra virilem, quamvis omnes aequaliter instituti essent.

His tamen non obstantibus, contrarium dixi mihi videri probabilius, ex ea circumstantia, quod testatrix in ipsa assignatione expressis dixit, ut ea bona sic assignata cedere deberent in eius quartam partem, unde patet, quod noluit alterare viriles, seu quotas jam ordinatas, neque aliquod praerogativam facere, quoniam, ubi per viam praerogati eundem Stephanum gratificari voluit, id fecit, dictum titulum exprimit; Et consequenter, quod iuxta vulgare dixerim, de quo apud Franc. dec. 236. nu. 11. quod plus homines in bonis habere credunt, quam in effectu habeant, testatrix in qualitate bonorum dicto Stephano gratificari voluerit, non alterando quotam, seu virilem, quam ita firmam esse debere declaravit.

Ad quod comprobandum ponderabam ea, quae habentur apud Castrell. lib. 4. c. 54. num. 32. ut testator melioraturum ex filiis iuxta illas leges, vel mores in tertio, vel quinto, atque in istius causam assignante aliqua bona, quae majoris valoris detegantur, assignatio reformatur ad limites dictae quotae, in qua consistere dicitur substantia dispositionis, non alterabilis per accidens assignationis in una, vel altera bonorum specie; Quamvis enim in eo casu aliqua urgeat etiam ratio defectus praerogati, unde propterea casus non fit omnino similis, atamen ratio praedicta bene applicabilis videtur.

Neque exinde dispositio, seu assignatio inutilis remanebat, cum notabilis esset eius effectus ita assignandi dictum Stephanum habendi bona magis commoda, seu conspicua in eius portione, eumque eximendi ab incerto eventus sortis, quae pariter etiam propria; neque hoc beneficium causare potuisset, dum nonnisi bona proportionata cuilibet quotae, seu portioni iudex assignasset cum congrua repartitione, ut quilibet de optimis, mediocribus, & nimis participaret, unde propterea dupliciter eius conditio melior efficeretur; Primo, nempe habendi in propria virili bona unita, eique magis commoda, & meliora; Et secundo circa implicitam coactionem venditionem sibi per cohaeredes faciendam de parte excedente supplenda in pretio, quod etiam est nimium estimabile, ut communiter ponderant DD. in proposito legitime obtinenda potius in bonis, seu corporibus, quam in pecunia, ex pluries deductis sub tit. de leg. & detract. ac etiam conferunt quae ad materiam retractus coactivi, legalis, vel conventionalis habentur sub tit. de servit. cum similibus.

Echis specialibus ponderationibus addebam generalitates, (quas Consulescentes cum copiosissimis allegationibus, ac inani chartarum repletionem deducere solent, ut apud ignarum vulgus, quod ex proluxatae scripturae, & copia allegationum, non distinguendo an sint ad propositum, neque iudicium efformat, sapientes videantur,) nempe quod ademptio, vel mutatio voluntatis non praesumitur, omnique interpretatio capienda est pro ea excludenda ex illis, quae collecta habentur per Menoc. l. 4. praesumpt. 167. Greg. decis. 236. Baratt. decis. 168. Dumoz. decis. 579. & passim.

Ac etiam quod in parentibus praesumenda est aequalitas inter filios, ideoque omnis interpretatio capi debet pro ea includenda, & excludenda inaequalitate, multo vero magis, dum aliae notabiles inaequalitates concurrant, dum eundem Stephani mater adhuc vivens suam portionem obtinebat aequalem cum altera filia, cujus inaequalis conditio remaneret ob admisionem nepotis ex filia vivente, & succedente ad aequalem successorem ultra alius pingue praerogativam; Ille autem generalitates considerabiles quidem erant in proposito, ut coadjuvarent superius ponderatas specialitates, in quibus constituebant principale fundamentum pro huiusmodi voluntate, adius potius, ac facti, quam iuris quaestio erat, ideoque cum sit huiusmodi quaestio, decisio non ex generalitatibus desumenda est, sed ex singulorum casuum particularibus circumstantiis.

Ad praedictam autem theoreticam Castrensi cum qua procedunt Parisi. & alii superius allegati; Dicebam responsum patere ex figuracione casus per ipsum positi, ubi scilicet assignatio ad favorem unius praecedat, deinde vero subsequatur institutio universalis aequaliter, vel etiam in institutio praecedat, & assignatio subsequatur, absque tamen

taxatione ad quotam, in qua pro meo iudicio major consistebat difficultas, juncta cum altera circumstantia praerogati facti favore eundem, dum quando testatrix praerogati titulum adhibere voluit, illum explicare scilicet, ac dixit; Nimirum etiam considerando notabilem inaequalitatem; aliaque generalitates ut supra.

ADNOT. AD DISC. VI.

Assignatio quando facta dicatur iure peculii, vel domini, habetur sub tit. de Testam. disc. 63.

ROMANA REDDITIONIS RATIONUM PRO ALTOBELLO CASTRUCCIO, CUM JOSEPHO PASQUANINO & aliis.

Causa disputata coram A. C.

De iuribus bonis, ac fructibus haeres beneficiarius rationem reddere teneatur, Et praesertim de fructibus industrialibus, & quid de nominibus debitorum inexactis; Et an peremptio, vel amissio bonorum, vel iurium vacabilium, seu vitalitiorum, cedat damno haereditatis, vel respectu damno ipsius haereditatis; Et e converso quid de lucro, vel augmento.

S U M M A R I U M.

1. Facti series.
2. Vacatio vitalitiorum cedat damno haereditatis.
3. Contrarium, ut debeat esse haereditas.
4. Emolumenta a vacabilium non sunt fructus, sed fors.
5. De ratione opinionis, de qua n. 2.
6. Quando procedat opinio, de qua n. 2.
7. Haeres non teneatur de nominationibus debitorum inexactis.
8. Impugnatur, seu declaratur.
9. De eodem, & ratione impugnationis.
10. Haeres an vendat habita fide de pretio.
11. An mercimonii, vel industrie lucrata, & damna pertinent ad haereditatem, vel ad haereditatem &c.

D I S C. VII.

Pullatus Altobellus tamquam haeres patris a Josepho, & aliisque creditoribus, exhibuit coram A. C. inventarium ac rationis in quarum dispositione, pluries dispositiones habitae fuerunt; Cum etenim ipse omnia bona possessa per patrem tempore obitus, separasset tanquam pertinentia ad fideicommissum avi, ex persona propria sibi delatum, creditores autem objicerent de legitima, aliisque detractibus debitori in eis competentibus, atque reus replicaret de illorum consumptione cum pretio plurimum animalium, ac etiam cum frumento, aliisque frugibus ab eo consumptis; ac remansis in haereditate fideicommissis, qui artem agrariam exercebat, necnon in quibusdam officiis vitalitatis ad eandem haereditatem spectantibus, quae per eundem Petri mortem vacaverant; Hinc proinde tres fuerunt puncti sub iuris dispositione cadentes (cum plerique alii consisterent in nudo facto.) Primo scilicet circa vacationem dictorum officiorum, an haereditas, vel haereditatis damno cedere debet; Secundo circa defecta nomina debitorum constata ex animalium, aliorumque dictae artis instrumentorum venditione habita fide de pretio; Et tertia circa frumentum, aliisque fructus industrialibus ex eadem arte in duabus recolectis perceptis.

Quatenus pertinet ad primum; Scribentes pro creditoribus deducebant eadem, quae insinuatur sub tit. de detractionibus, disc. 15. quod scilicet, cum his punctis in iure decisus non reperitur, neque aliqua obligatio adjecta sit haereditati vendendi officia, aliisque iura vitalitatis, seu vacabilia, hinc non debeat vacatio cedere eius damno, nisi proportionabiliter; & pro eius quota sibi competente ratione legitima; Idque praxis Curiae recepit, ob determinationem Rotae praesertim in Romana fideicom. de Marianis, & consequenter cum in hac facti specie officia vacabilia, seu alia iura vitalitatis, ut sunt census, vel loca montium ad vitam, vel societates officiorum, ponerentur quidem in calculo ad constituendum aem haereditarium de tempore



*de hereditate vel alii vendit* &c. de qua specie emptionis habetur sub tit. de emp. & vendit. disc. 26. & alibi; Et consequenter deduci non potest adus actionis, neque quod nomine, & commo hereditatis gestus sit; quoties iste titulus expressus non fuerit. Possitne vero ubi huiusmodi compositiones cum Camera, vel Fisco sicut per defuncti conjunctos, vel familiares, ut alios, qui ejus bona administrarent, cum frequentius fieri soleant principaliter pro evitandis molestiis propriis à Fiscalibus inferri solitis ex eo quod haberent bona in manibus, unde propterea hanc aliam emere student.

Quovèro ac aliam effectum, seu punctum, an scilicet, & quando heres, qui de proprio erga creditores, & legatarios, alioquin jus in hereditate habentes, se obligavit, hereditario, vel proprio nomine, id esse censetur, adeo ut adhuc retineat inventarii beneficium, vel potius illi renunciasset censetur; Et tunc involuta videtur questio, cum una opinio, ( quæ antesignanum habet Cynum, ) heredem excuset, ut hoc non obstat, inventarii beneficium retineat; Altera vero, ( quæ antesignanum habet Angelum, ) tenet contrarium, ut patet ex collectis de more iure per utraque for elaboratum Giuriam observ. 104. num. 8. & 9. & alios, de quibus habetur sub tit. de dot. disc. 28. occasione agendi de decreto generali, quod vulgo ibi dicitur *quatuor Aularum* per quamdam determinationem generalem tanquam per speciem legis edito de anno 1623. per Sacrum Consilium Neapolitanum ex ibidem deductis, ubi de istius decreti intelligentia.

Quidquid autem sit de decreto prædicto, quod favore heredis se obligantis per speciem legis attendendum venit in illis Tribunalibus, non autem in aliis, in quibus tamen magnificandum videtur tanquam doctrina magistralis tam magni Tribunalis unius ex dictis diffidentibus opinionibus canonizata; Venior mihi semper via est distinctio tradi solita per Rotam in *decis. eod. disc. 28. de dot. in natis*, & in aliis, quod scilicet; Aut obligatio heredis de proprio facta est occasione novationis, quæ sibi proficua sit, & tunc recipienda venit opinio Angeli, ut obligatio cum officiat de proprio, neque inventarii beneficium frustratur ex verisimili voluntate creditoris, quod ideo partem debuit, vel juri sibi competentis remittere voluerit, ut ita se asscuraret a periculo resultanti à discussione inventarii; Et converso heres huic periculo se exponere voluerit, ob illud commodum, quod sibi privato nomine cedere debet tanquam premium assicurationis, ac effectus ejus industria, & diligentia, quæ ubi agatur de debito certo, & liquido in jure prohibita non videtur; Secus autem ubi non accedat formalis novatio, adeo ut obligatio sit compatibilis cum titulo hereditario, quia nempe ex sola causa aliquis dilationis, ea facta sit, cum tunc nulla cadat ratio, vel verisimilitudo, ob quam heres beneficio inventarii priyare se voluerit, atque ad hunc effectum dictum decretum *quatuor Aularum*, ubique in consideratione habendum venit, tanquam doctrina magistralis, & maxime autoritatis.

Neque actus frustratorius, vel inutilis dici potest, dum plura commoda creditorum exinde resultant, ita acquirendi actionem directam, & executivam in persona, & bonis propriis absque necessitate servandi alias insinuatum *praxim Salusii*, ac etiam acquirit hypothecam in bonis propriis heredis alius de jure non competentem pluresque exinde resultant proficui effectus, qui sufficient, ut actus non dicatur inanis, sed in aliquo operativus; Ad instar eorum, quæ habentur de legato per creditoriem facto debitori de debito cum similibus; Ac propterea ista videtur questio, potius facti, quam juris, ex facti qualitate decidenda.

ADNOT. AD DISC. VIII.

Compositio reportata per heredem à Camera, an sibi suffragetur, habetur sub tit. de Testam. disc. 89.

FLORENT. SUCCESSIONES DE FRANCESCHIS

P R O

MARIA LUCRETIA, ET MARIA MAGDALENA,

C U M

PHILIPPO DE FRANCESCHIS.

Responsum pro veritate.

An, & quando heres in parte, qui hereditatem integram possedit, ac fructus percepit, teneatur

coheredibus postea venientibus restituere fructus, qui in iudicio petitionis hereditatis veniant ab initio, etiam ante petitionem, Vel potius eos faciat suos, ac non teneatur nisi ex tempore petitionis.

S U M M A R I U M.

- 1 Facti series.
- 2 De hac eadem causa alibi.
- 3 In fide commissis fructus veniunt à die petitionis, & non antea.
- 4 De ratione.
- 5 Ut id non procedat in petitione hereditatis, in qua fructus veniunt ab initio.
- 6 Contrarium, ut fructus veniant à petitione.
- 7 Ignorantia juris dubii affimulatur ignorantie facti, & excusat.
- 8 Declarantur opiniones, de quibus, n. 5. & 6.
- 9 Hæres putativus bona fidei excusat.
- 10 Coheres, vel possessor pro communi absque alia declaratione mutat causam possidendi.
- 11 De Statuto Florentino in successibus.
- 12 Quomodo quis declaratur hæres.
- 13 Et quomodo heres obtrineat loca montium hereditaria, & alia jura cum Principe.
- 14 Fructus extantes veniunt sine dubio sub petitione hereditatis.
- 15 De differentia inter provocantem, & provocatum.
- 16 De conclusione, de quan. 7.
- 17 De pluralitate heredum, & hereditatum ejusdem personæ.

D I S C. IX.

Defunctis ab intestato, prius Francisco patre, & deinde Juliano filio, de Franceschis, superstitibus Philippo, Maria Lucretia, & Maria Magdalena filiis, ac fratribus, & sororibus respectivè; C. m. utriusque hereditatis bona in variis Principatibus, & regionibus sparsa essent, partim scilicet in Florentina Civitate omnium defunctorum, ac viventium, origine, & domicilio patria, partim verò in Urbe, & Statu Ecclesiastico, & partim in Regno Neapolitano, ac etiam in Dominio Veneto, alique locis; Solus autem masculus, ex fundamento Statuti Florentini, omnia bona per aliquod tempus possederit, ac fructus percepit; Postmodum autem timens sororum preteniones, in iudicio *ludiffamari*, & l. si contendat, eas super huiusmodi successibus in quodam ejusdem patriæ Tribunali provocaverit. Hinc ex parte mulierum de pluribus pro veritate consultus fuit, tam super successibus pertinentia, quam super competentia fori, & an in quorumlibet dictorum Principatuum Tribunalibus pro eorum legibus, ac styli, causa tractanda esset, super bonis in eorum quolibet respectivè existentibus; Ac etiam, an posita pertinentia successiones in feminis æqualiter cum masculis ad limites juris communis, venirent fructus ab initio, vel potius solum à die motæ litis.

De primo & secundo puncto agitur in hac eadem causa sub tit. de success. ab intestat. disc. Quatenus verò ad istum pertinet; Cum alii Scribentes desuper consulti, quorum responsa communicata fuerunt, procederent cum regula quæ magis communi opinione in fidei commissaria materia recepta est, ut fructus non veniant nisi à die petitionis, ac more regularis, vel irregularis, quæ in privilegiatis datur ex generaliter deductis per Fufar. de substitut. q. 626. Rot. apud Dunoz. dec. 662. & pluries in sua materia sub tit. de fidei.

Respondi, quod improprie, atque à casu questionis extraneæ essent huiusmodi termini, quoniam ut in dicta sua materia habetur, heres fidei commissi gravatus dicitur versus dominum percipiendi fructus jure suo, ac ratione proprii domini, quod facto casu restitutionis non evanescit, nec resolvitur ipso jure, ut aliqui male opinati sunt, sed ejus resolutio sequitur ope exceptionis, quatenus scilicet fidei commissarius petat, quia potest nolle petere, seu nolle agnoscere; Et consequenter dominium ab uno non abdicatur, neque in alterum transit, nisi ex hoc tempore; Fructus verò dicuntur sequela domini, à quo regulantur.

Non sic est in hereditate, in cuius iudicio veniunt fructus ab initio, ipsamque hereditatem augent, ad text. in l. item veniunt, §. fructus, ff. de petit. heredit. ubi Cyn. Bald. Salyc. & alii, ac etiam in l. non est ambiguum, Cod. fam. erisc.

*erisc. Affili. dec. 240. n. 2. & seqq.* quæ reputantur in materia magistralis Burat. & Add. dec. 843. n. 7. & 7.

Converso autem urgent textus in l. pro hærede, & l. sed & si lege, §. si ante litem, ff. de petit. heredit. & l. i. Cod. eodem, ex quorum jure dispositio, alii Respondentes, masculum integræ hereditatis possessorem excusabant, quodque propterea non nisi à die petitionis teneri deberet, in idem deducendo generalem, nimiumque frequentem propositionem lapsus insinuatum, ut à restitutione fructuum consumptorum excuset non solum bona fides, sed etiam media, quoniam sufficit abesse malam fidem positivam; Idque rectè in hac facti specie congruere videbatur, dum supponitur, quod Rota & Curia Florentina sequatur opinionem diversam ab ea, quam sequuntur Rota & Curia Romana, & Tribunalia Neapolis super utraque subjectione personarum, & bonorum copulative desiderata, quodque prima sufficit, ac operativa sit etiam respectu bonorum extra territorium ex deductis in hac eadem causa dicto disc. 9. de success. ita enim inferrebant, quod ubi etiam dicta opinio substantiabilis non esset, adhuc tamen sufficere deberet ad bonam inducendam, sive ad excludendam malam fidem positivam, dum probabilis dubietas juris affirmataur ignorantia facti, atque regula, quod ignorantia juris non excuset, procedit, ubi agitur de jure claro, non autem de jure dubio.

His tamen non obstantibus, respectu præsertim bonorum existentium in Urbe, & Statu Ecclesiastico, ac in Regno Neapolitano; Contrarium dixi mihi probabilius videri, ut scilicet dictus possessor dici non possit in bona fide, ideoque restitutio fructuum veniat ab initio, duas proinde inspectiones efformando, Unam scilicet in puncto juris, & in abstracto; Alteram verò facti & applicationis in concreto.

Quatenus igitur pertinet ad primam; Dicebam utramque theoreticam, seu conclusionem hinc inde deductam, esse veram, atque jura superius allegata non esse contraria, sed diversa, ideoque rectè conciliabilia; Prima etenim propositio deducit ex textu in litem veniunt, §. fructus, procedit in eo, qui bene fidei alios habere coheredes, unde propterea dicitur in mala fide; Altera verò deducit ex alii juris supra allegatis, procedit in eo, qui iuste hereditat, seu opinabatur esse solus heres, atque integram hereditatem ad se spectare, unde propterea tanquam heres putativus bonæ fidei fructus percepit, & consumpsit tanquam suos.

Adeo enim lex bonæ fidei putativum heredem excusat; ut quamvis aliqua bona in sorte principali consumat, quinimo dissipet, non per hoc restituatur, vel in ejus portionem imputatur teneatur, ut habetur in Romana evictionis, disc. 27. multo igitur minus teneatur de fructibus perceptis & consumptis, cum quibus magis benigne proceditur, unde propterea neque bona fides positivæ, ut supra requiritur, sed sufficit media, quodque ab sit mala positivæ; Igitur utriusque theoreticæ, sive distinctionis veritate admittis, dicebam, quod questio erat facti, & applicationis, an in una, vel altera parte veritatem.

Quando ergo hic masculus, ad eundem hereditatem, veribus, vel factis, propria autoritate, ac in forma extrajudiciali bona possidisset, ac fructus percepisset, ut forte verificabile erat in bonis patriæ, quod sibi continuaverit vivere in domo paternæ, & possideret pro communi, unoque eorum defuncto, illo qui possidebat totum pro ejus virili, ita superveniente titulo per mortem socii possederit totum jure proprio mutando causam possidendi absque necessitate novæ declarationis, vel apprehensionis, ut de facto frequens praxis docet, atque de jure est verius, magisque communitè receptum juxta dec. 4. Achill. de caus. possess. & propriet. cum concordant.

Et tunc rectè procederet secunda pars distinctionis, favore hæredis possidentis, quamvis sciret habere sorores, quibus de jure communi, æqualis ab intestato successio debita erat stante dispositione Statuti Florentini enunciati supra disc. 8. excludentis feminas propter masculos nedom aquales, sed etiam inæquales, rectèque opinari potuit, quod istud Statutum indefinite procederet in omnibus bonis, quamvis in hoc erraverit, cum fit error juris dubii, qui ad hunc effectum sufficiens videtur, ut supra advertitur, ipsiusque hereditatis rectè condici de morte patris & fratris, imputandum erat, cur tantis tacuerint, ac passæ sint, ut frater totum possideret, unde in concursu ignorantia, vel culpæ hinc inde, intrat mutua compensatio, ac potior est conditio Rei, & possessoris ita contententis de damno vitando in concursu alterius agentis de lucro captando.

Verum respectu bonorum existentium in dictis aliis Principatibus, id in facto practicabile non est, quoniam quando defuncto priori possessore, ejus heres vult eorumdem bonorum vacuum possessionem adipisci, oportet, ut formetur in iudicio se talem declarari obtineat cum legitimis justificationibus, atque mandatum obtineat à Judice de immittendo, quod non conceditur, nisi cum clausula sine præjudicio aliorum habentium meliora, & posteriora jura, ut in Urbe practicatur, vel cum alia clausula, salvo jure exsultibus, ut practicatur in dicta Civitate Neapolis, ubi magis certitudinaliter, ac rigorese terminandus est hic actus, qui sub præambulo vocabulo, vel termino explicatur, atque ita supponatur, quod practicaretur quoque in Civitate & dominio Veneto.

Potissime verò, quia bona, quæ per exteras industres nationes (ut præsertim frequentius sunt hæc Florentina, & Januensis) in diversis Principatibus possidentur, ut plurimum consistere solent in locis montium, vel similibus juribus cum Principe, vel Republica, pro quorum possessione adificenda, ac fructibus percipiendis oportet obtinere descriptionem in libris publicis, quæ vulgo sub *investitionis* vocabulo explicatur, illaque non conceditur nisi de mandato Judicis proprio dicto præambulo, in cuius confessione, ille qui petit heres declarari, tenetur justificare se esse solum proximorem, & in gradu successibili, vel mitius cum eo agendo, deferret ejus assertioni admittat tamen dicta præservativa juris alterius, quam ipse, qui declarat heres, utendo declaratione ita qualificata, acceptare dicitur, & consequenter quoad eos, quorum jura reservata sunt, ipse faciens ita censitur dicitur in mala fide; Adinstar creditoris recipientis à manibus Judicis pecuniam debitoris cum clausula præservativa jurium creditorum anteriorum, vel posteriorum, cum similibus; Idemque respectu nominum debitorum, in quibus pariter effectus huiusmodi negotiantium in diversis Principatibus consistere solent, quoniam, ut nomina exigi valeant, atque debitores compellere, utique eundem actum facere oportet.

Et consequenter dicebam intare dilemma, quod; Aut respectu bonorum & jurium in præfatis diversis Principatibus existentium, masculus hic obtinuit possessionem, vel fructus percepit, Aut non; Si non possedit, neque percipit, adeo ut hereditas tanquam jacens fuerit sub administratore, qui fructus cumulaverit, vel quod isti adhuc inæxacti sint, & tunc cessat questio in radicem, dum in fructibus extantibus nulla cadit difficultas, juxta literalem dispositionem ejusdem textus in l. i. C. de petit. hereditat. Aut possedit, & percipit, perneceesse oportet supponere dictum actum, per quem in mala fide constitutus fuit, ideoque unum ex duobus videbatur inevitabile.

Considerabam quoque malam fidem masculi auctoris, seu comprobati ex eo, quod ipse non fuerit à foribus provocatus, unde propterea se excusare possit, quod interim vixerit in bona fide, opinando, quod illæ paternam & fratrem successorem non curaret, sed ipse eas provocavit in iudicio diffamationis, quod perneceesse supponit provocati contrariam declarationem, ac satisfactionem, ut ad rem bene conferre videntur firmata apud Dunoz. dec. 12. n. fin. ubi expenditur differentia inter provocatum & provocantem.

Ac etiam quod dubietas juris circa questionem, an sola subjectione personarum sufficere, illaque operativa sit in bonis extra territorium, rectè procedebat apud nostros majores tempore antiquiori, hodie autem, ac de tempore, quo huiusmodi successiones casus contingit, in Tribunalibus dictorum Principatuum Status Ecclesiastici, & Regni Neapolitani, nimium explanatum est, cum tot distinctionibus, & doctrinis modernis bene cognitis etiam in Civitate Florentina, unde propterea observabam probabiliter dici posse, ut neque applicabilis esset superius infirmata conclusio in suo casu vera, ut ignorantia juris dubii affimulatur ignorantia facti, vel potius intraret altera regula, quod juris ignorantia non excusat, cum ea potius crassa, vel affectata videatur.

Quodque pro diversitate Principatuum, etiam in pagano dicitur diversitas hereditatum, vel successio, quæ diverso jure censenda sint, adeo ut in uno patrimonio diverso jure succedatur, ac in altero, habetur in hac eadem causa sub tit. de success. dict. disc. 9.